

HAGNE AVGVSTE tua quoties fers oscula labris,
Sponsa tibi subeat Christi, quam foedere iuris
Despondit sibi perpetui, propriamq; dicit,
Expertem naui, frontis sulcoq; carentem,
Atq; suo lotam depurgatamq; cruore.
Cuius membra sumus corpus commune professi,
Communis corpus capitis, cui nomen Iesu.
Huius cura tibi subeat, qua supplice vultu
Intonsas laniata comas, perfusaq; multo
Pulvere caniciem, atq; imbutam sanguine vestem,
Augustos amplexa pedes, tibi brachia tendit.
Audi humiles, dux summe, preces; miserere rogan-
Dum licet, & non dū gladij, rota, flumina, virga, (tis)
In misera cedes, & tristia vulnera desunt;
Dum super exilio locus est, ferrumq; catenis,
Ligna rogis restant, nec tortor deficit omnis.
Eripe quod superest, immanibus eripe bellis,
Aut, hoc si nimium est, turbatis consule rebus;
Consule turbatae male religionis honori.
Incipe, nec segnis procerum manus orsa sequetur,
Teutoniae procerum, Christi quos gloria tangit.
Ad te oculos auresq; trahis, tu dirigis omnes
Exemplo, dubijs Helice Cynosuraq; rebus.

Affer